MORBI
QVO PER SAPIENTIAM MORI PLINIVS SCRIBIT
NATVRAM
EXPLICAT

ATQVE

ARTIS SALVTARIS CVLTORES

AD

LECTIONES

ET

DISPVTATIONES MEDICAS

INVITAT

CHRISTIAN. GODOFR. STENTZEL

ARTIS SALVTARIS AC PHILOSOPHIAE DOCTOR
FACVLTATIS MEDICAE ASSESSOR, CHIRVRGIAE
PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS
PATHOLOGIAE PROFESSOR SVBSTITVTVS.

VITEMBERGAE
IMPRESSVM VIDVAE KOBERSTEINIANAE LITERIS.

Epictetus Enchiridii

Cap. 57.

Ὅταν τὶ διαγνοὺς ὅτι ποιητέον ἐςὶ, ποιῇς, μηδέποτε φύγῃς ὀφθῆναι πράσσων αὐτὸ, κἂν ἀλλοῖόν τι οἱ πολλοὶ μέλλωσι περὶ αὐτοῦ ὑπολαμβάνειν. Εἰ μὲν γὰρ οὐκ ὀρθῶς ποιεῖς, αὐτὸ ἔργον φεῦγε, εἰ δὲ ὀρθῶς, τί φοβῇ τοὺς ἐπιπλήξοντας οὐκ ὀρθῶς.





Ature fiat ſenex, qui diu uult eſſe ſenex, ac quod cuique in uegetae ſubſidium ſenectutis faciendum eſt, id ne ſero facere incipiat; ſera quippe in fundo parſimonia; ſerum cauendi tempus in mediis malis; ſerum, poſt male rem geſtam, auxilium; ſera, in decrepita aetate, exacta uictus uitaeque ratio, iuuentutis neglecta annis. Nulla in re modum humana tenere nouerunt ingenia, eaque a labore & ſobrietate auocata, ad otium ac luxuriem diſpoſita & procliuia abripiuntur; natura omnium hominum in uitium ſequax, atque in malum fertur prona, uirtutibus, ad quas accliuis eſt atque ardua ſemita, neglectis; nemo eſt, qui non aliqua culpa erroris humani teneatur; nemo mortalium omnibus horis ſapit; eſt commune malum, ſemel inſaniuimus omnes. Peiora cumprimis adoleſcentes praecepta facile audiunt promteque exequuntur; adoleſcentia lubrica, feruida atque ad omnis uitia generis propenſa eſt; iu-

uenis monitoribus asper Horatio audit; iuuenile uitium est, regere non posse impetum aetatis. Dehinc, cum nimia humanae fragilitatis iuuenilibus annis sit obliuio, eiusque aetatis homines, ea saltem, quae ante pedes sunt, uideant atque obseruent, non prospicientes, quae futuro metuenda impendeant tempore, ratio in aprico est posita, cur non intellecta obrepat senectus? cur praematurum, grauibus stipatum molestiis ac morbis senium, in ipso etiam aetatis flore, accedat? intemperans enim adolescentia effoetum corpus tradit senectuti, ac magna graues semper comitantur crimina poenæ. Iuuenum contra frugalitas & sobrietas, prosperae est medicina ualetudinis, certus longaeuitatis custos, exoptatum senectutis condimentum & fulcrum; imo laboriosa iuuentuti studia, iucunda sunt senectuti otia & deliciae. Optime ita Xenophon, conspecto iuuene industrio, labori ac temperantiae addictissimo, sequenti eundem laudauit exclamatione: Κάλλιςον, φίλον τέκος, ὄψον τῷ γήρατι ἀρτύεις, iucundissimum, charissime fili, senectuti condis obsonium. Gorgias interrogatus, quod uitae tenuisset genus, cuius ministerio ad tantam peruenisset senectutem, respondisse fertur: οὐδὲν οὐδέποτε πρὸς ἡδονὴν οὐδὲ φαγὼν, οὐδὲ δράσας, nunquam uoluptati, in edendo, aut aliis rebus perficiendis, obtemperans. Nihil est tam mortiferum hominibus, quam luxuria; intemperantia est nutrix medicorum, atque ingluuies fons & fomes morborum. Iuuenta igitur prudenter utendum, minime uero eadem temere abutendum. Senum prudentia longo comparata usu iunioribus opus est, eiusque beneficio atque applicatione, spretis repudiatisque omnibus uoluptatibus, huiusmodi uictus uitaeque ratio tempestiue deligenda atque ineunda, quae bonam corporis dispositionem mentisque tran-

quil-

quillitatem tuendo, aequales ſemper uires & integram quam diutiſſime ualetudinem procurat, atque incommoda, quibus alias ſenectus obruitur, quam longiſſime a nobis abarcet. Durum eſt, ea relinquere, quibus adoleſcens aſſueueris, mala quippe conſuetudo, a tenera ad maturam protracta aetatem, eſt correctu difficillima, ne dicam impoſſibilis. Durius adhuc & operoſius eſt, tum mentis, tum corporis morbos, negeta contractos adoleſcentia, creſcentibus, decreſcente corporis robore, annis, corrigere atque extirpare, inueterata enim uitia aegrius depelluntur. Non minor eſt uirtus, quam quaerere parta tueri. Melius & certius ſibi conſulunt, qui de praeſente conſeruanda, quam qui de amiſſa reſtauranda ſanitate ſolliciti atque occupati ſunt. In ſummum huius uniuerſi architectum ingrati ſunt, qui ſerpentum, nouo ſenectam uere cum cute exuentium, & perpetua fruentium iuuenta conditionem, humana meliorem iudicant. Non ſaltem ſerpentes, non aquilae duntaxat ac cerui hoc obtinent beneficium, ſed idem etiam, prae omnibus aliis animantibus, homini, modo rationi morem gerat, tributum eſt. Reſpice priſcorum hominum longaeuitatem, conſidera ſanitatis, qua fruebantur, integritatem, certiſſima ſanitatis ac longaeuitatis priuilegia homini conceſſa ac tributa deprehendes. Tua eſt culpa, tuum peccatum, qui, repudiato horum priuilegiorum uſu, ipſis hinc expectandis beneficiis te priuas. Derelicta uictus ſimplicitas, qua maiores noſtri delectabantur, ac ſuffecta in illius locum gulae uoluptas, & contrariae alimentorum potulentorumque indolis, qua corpus repletur, farrago, genuina tot ac tam multiplicium morborum, tam breuis uitae termini, qui omnibus fere iam euenit, cauſa exiſtit. Cum olim, ſunt Cypriani uerba,

 ad

ad nongentos aut octingentos annos, uita hominum longaeua procederet, uix nunc potest ad centenarium numerum peruenire. Canos uidemus in pueris, capilli deficiunt, antequam crescant; nec aetas in senectutem desinit, sed incipit a senectute, adeo, ut ad finem natiuitas properet.

Plures iam de hac generis humani calamitate conquesti fuere; referti sunt huiusmodi querelis philosophorum libri. Euolue Senecam, audi Platonem, lege Plutarchum, inspice Aristotelem, ausculta Hippocrati. Homo, ἀσθενείας ὑπόδειγμα, καιρȣ̃ λάφυρον, τύχης παίγνιον, μεταπτώσεως εἰκὼν, φθόνȣ καὶ συμφορᾶς πλάστιξ, τὸ δὲ λοιπὸν φλέγμα καὶ χολή, hoc est, imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunae lusus, inconstantiae imago, inuidiae ac calamitatis trutina, quod restat, pituita ac bilis ab Aristotele dicitur. Plutarchus, ἀνθρώπȣς ἀπὸ σαπρȣ̃ καὶ παλαιȣ̃ στήμονος κρεμαμένȣς, homines a putrido ac ueteri filo pendere, perhibet. Ex Hippocratis sententia, ὅλος ὁ ἄνθρωπος ἐκ γενετῆς νȣ̃σος, totus nempe homo a natiuitate morbus est. Omnia sunt hominum, canit Ouidius, tenui pendentia filo, & subito casu, quae ualuere, ruunt. Quod in exiguum aeui gignamur, quod haec tam uelociter, tam rapide dati nobis temporis spatia decurrant, adeo, ut, exceptis paucis, ceteros, in ipso uitae apparatu, uita destituat, Epicuraeorum apud Senecam sunt querelae. Deplorat morbos suos, scribit Dilherrus, quibus possidetur, hoc corpusculum; deplorat incertam ualetudinis conditionem & ambiguitatem uitae. Quae namque aetas, aut tempus est, quo non a malo oppugnatur aliquo? Nonne, simul ac natum est, humidisque matris e locis recens euulsum, luto sordibusque diffluit, uagitu omnia complet ac lacrymis? Postea, si ad aetatis

tis florem adolescat, feruore quodam & intemperie agitur. Si perueniat ad pubertatem, prae ardore animi ac uehementia, nullis consiliis, in officio contineri potest, nullis monitis. Si ad senectutem, paulatim moritur & deflorescit. Innumera adhuc & Theologorum & Philosophorum, imo sacrarum literarum testimonia, idem innuentia, afferre possem, at enim uero, reliquis omnibus omissis, in eum saltem PLINII (a) locum paulo penitius inquiramus, quo multiplices generis humani calamitates describens, omnium quasi summam enucleaturus ac traditurus, in haec erumpit uerba: *atque etiam est morbus aliquis per sapientiam mori.* Pliniana haec sententia, eruditissimorum sane inter omnes gentes uirorum, Scaligeri, Mercurialis, Dalechampii, Schotti, Beuerouicii, Heinsii, Salmasii, Patris de la Cerda, Casp. Calderae de Heredia, Waldschmidii, ingenia, mire in diuersas distracta partes torsit atque exercuit. Omnes uero in obscuri huius loci explicatione occupatissimi, maiorem refutandis aliorum erroribus operam, quam eruendo ac demonstrando genuino Plinianae sensui locutionis, impenderunt. Nec ego is sum, qui me huic nodo Gordio extricando soluendoque parem iudicem; absit, ut hoc mihi tribuam; absit ut hoc aliis persuadere gestiam. Oedipo hic omnino opus est. Dauus ego sum, non Oedipus. Perfacilis esset huius scrupuli solutio, si nostris Plinius uiueret temporibus, uel nos Plinii uixissemus seculo, quo, quae allegatae sententiae sit significatio, quae Plinii mens, ex eodem quaerere possemus. Experiri tamen licet, quid ualeant humeri, quid ferre recusent.

Ad

(a) Hist. natur. edit. quae Basileae 1554. in folio, apud Frobenium prodiit, lib. 7. cap. 50. p. 121.

Ad duo autem, in commemorati explicatione apophtegmatis, attenta respiciendum mente, primum nempe, ad loquendi scribendique rationem, Plinio Pliniique temporibus usitatam, deinceps ad totius capitis, cui haec sententia inserta reperitur, contextum. Plinianus stylus concisus & sententiosus est, ita, ut idem paucissimis saepe uerbis, plures magni momenti res complectatur ac describat. Si praeterea capitis, ex quo locus explicandus desumtus est, contenta expendamus, nihil, quam plura argumenta pluraque exempla calamitatum atque incommodorum, quibus homines obnoxii sunt, deprehendimus. Iam fato mortales derepente uisu priuatos, iam aegrotos a Medicis derelictos, praeter spem atque expectationem, fato seruatos fuisse, declarans, haec tandem Plinius subiungit: incertum ac fragile nimirum hoc munus naturae est, quicquid datur nobis; malignum uero & breue est in iis, quibus largissime contingit, uniuersum utique aeui tempus intuentibus. Quid, quod aestimatione nocturnae quietis, dimidio quisque spatio uitae suae uiuit? Pars aequa morti similis exigitur, aut poenae, nisi contingit quies. Nec reputantur infantiae anni, qui sensu carent, non senectae in poenam uiuacis. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curae, toties inuocata morte, ut nullum frequentius sit uotum. *Natura uero nihil hominibus breuitate uitae praestitit melius.* Hebescunt sensus, membra torpent, praemoritur uisus, auditus, incessus, dentes etiam ac ciborum instrumenta, & tamen uitae, hoc tempus annumeratur. Hoc modo miseram humanae conditionem uitae, atque innumeras, quibus acerbe mortales affliguntur ac torquentur, aerumnas, Plinius describit, ac paucis, quae quorundam hominum longaeuitatem, miraculi instar suspe-

ctam,

ctam, spectant, interiectis, tribus, tanquam in summa, uerbis, omnia coniunctim comprehensurus atque expressurus, *atque etiam*, inquit, *morbus est aliquis per sapientiam mori*. His igitur omnibus in connexione, quam antecedentia sistunt, rite examinatis, ac cum Pliniano scribendi philosophandique genere collatis, uerisimile uidetur, quod hic per *morbum*, non certa atque unica infirmitatis species, sed omne, quotquot humano eueniunt generi, affectuum genus indicetur atque innuatur. Cum phrasis: *per sapientiam mori*, uniuersalem naturae fatique prouidentiam & legem, quae omnes homines morti subiecit, qua, tanquam sapientissimo naturae instituto, ab omnibus liberantur malis, designet. Ex Plinii enim mente, τὸ mori, pro naturae fatique reputandum beneficio, uti ex antecedentibus clare liquet, quibus expresse fatetur: *quod natura nihil hominibus breuitate uitae praestiterit melius*. Prorsus ita est, per causas medias uarie nexas, prima illa causa omnia temperat, suauiter, prudenter, utiliter, nec aliter est censendum. Fatum ita, hoc est, prouidentiam decretumque diuinum, in morborum hisque succedentis mortis generatione considerabat ac credebat Plinius. Fatis agimur, Stoicus scribit Philosophus, cedite fatis; non sollicitae possunt curae mutare rati stamina fati. Quicquid patimur mortale genus, quicquid agimus, uenit ex alto. Non illa Deo uertisse licet, quae nexa suis currunt causis. Ex hoc fonte Plutarchus consolationem, Apollonio praematurum filii obitum lugenti datam, hausit, ἐκείνῳ δὲ, inquit idem, τῷ μακαρισθέντι οὐκ ἦν κατὰ φύσιν περαιτέρω τοῦ ἀπονεμηθέντος αὐτοῦ χρόνου πρός τὸν ἐνθάδε βίον περιμένειν, ἀλλὰ εὐτάκτως αὐτὸν ἐμπλήσαντα πρὸς τὴν εἱμαρμένην ἐπάγειν πορείαν.

καλȣσῆς ἀυτῆς φύσεως ἤδη πρὸς ἑαυτήν. Trahunt hoc modo nolentes ad mortem fata, uolentes ducunt. Nam, ὅτι δεῖ γενέϑαι, scribit Herodotus, ἐκ τȣ͂ Θεȣ͂, ἀμήχανον ἀποτρέψαι ἀνϑρώπῳ. Sapientes exinde ac diuinarum rerum peritos, eos Epictetus appellat, qui fato se accommodant, iam morbum, iam mortem afferenti, ὅςις δὲ, sunt illius uerba, ἀνάγκῃ συγκεχώρηκε καλῶς, σοφὸς παρ' ἡμῖν, καὶ τὰ ϑεῖα ἐπίςαται. Obstare uero huic nostrae explicationi uidetur epitheton: *aliquis*. *Atque etiam*, sunt Plinii uerba, *morbus est aliquis, per sapientiam mori.* Sed nexu, in quo hic uerbum, *aliquis*, adhibetur, perspecto, omne, quod nobis moueri potest, dubium, euanescit; nam uocabulum, *aliquis*, non hanc illamue affectus speciem, sed omnem, eumque omnibus hominibus certum, quicunque etiam sit, morbum, ex quo mors certo certius expectanda imminet, denotat. Discrepans est hominum constitutio, maximum in eorum educatione ac uitae uictusque ratione obseruatur discrimen; unde non mirandum, si mors, quae omnibus certa, diuerso inducatur morbo. Est tamen *aliquis* ex tot infirmitatum myriadibus, quae te, quae me, quae quosuis peraeque mortales, sublato cordis totiusque corporis motu, abolitoque sensu omni, omnis, qua uiui cruciabamur, calamitatis malique expertes reddet.

Si saluberrimis Christianae doctrinae praeceptis Plinius imbutus fuisset, optima sane certissimaque futurae post mortem beatitudinis, qua fideles piique in aeternum fruentur, documenta, citatum apophtegma exhiberet; enim uero, uera, quae ex diuino hauritur codice, sapientia Plinius destitutus erat, hinc idem res humanas, mortem praesertim, eaque, quae illi succedunt,

quasi

quaſi per tranſennam aſpiciens ac contemplans, incertus ac ſuſpenſus obſcura futurorum ſpe pendebat. Hoc tamen ex allegatis obſcurum eſſe nequit, quod Plinius temporalis tum neceſſitatem, tum utilitatem mortis aliquo modo agnouerit, ac citatis indicarit uerbis; ſerius certe aut citius mors ſua quemque manet; eſt commune mori, mors nulli parcit honori; omnes una manet nox & calcanda ſemel uia lethi; moritur quisque noſtrum inter negotia; mors & fugacem perſequitur uirum; mors non curat munera; mors aequabit, quos pecunia ſeparauit; mors ſceptra ligonibus aequat; mors aequo pulſat pede pauperum tabernas regumque turres; omnes eodem cogimur, omnium uerſatur urna; moriendum eſt omnibus, eſtque finis miſeriae in morte; mors laborum & miſeriarum quies; mors ultima linea rerum, mors meta malorum; quem Deus diligit, adoleſcens moritur. Et originem, & cauſam, & poteſtatem, quam in omnes peraeque homines mors exercet, ſequentibus Paulus ob oculos poſuit: δι᾽ ἑνὸς ἀνθρώπȣ ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος· καὶ ȣ̓́τως εἰς πάντας ἀνθρώπȣς ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον. In uita nihil eſt, niſi propagatio miſerrimi temporis; in uita nulla eſt intercapedo moleſtiae. Quid aliud eſt uita, quam iter ad mortem? quam peregrinatio quaedam, tot undique periculis obnoxia, tot caſibus obiecta, tot malis ſtipata ſeptaque? cui nulla hora, nullo momento non imminet finis, qui leuiſſimis de cauſis, iisque inopinatis, derepente accidere poteſt. Excuſſis igitur uulgi paganorumque uerum ueri Dei cultum ignorantium ſenſibus, mortem haud pertimeſcamus, peruerſam potius uitae peccatis contaminatae ra-

tionem auersemur, cuius fructus aeterna nullo redimenda pretio calamitas, uti & gentiles philosophi ex lumine naturae perspexerunt, quorum optimum testem atque interpretem Platonem habemus, qui, idem sequentibus indicauit: πολλῶν γὰρ ἀδικημάτων γέμοντες τὴν ψυχὴν εἰς ἅδου ἀφικέσθαι πάντων ἔσχατον κακῶν ἐστιν. Illa igitur persuasio uulgique error te haud occupet, quod, uti Aristotelis, philosopho plane indignum, fert scitum, θάνατος πάντων τῶν φοβερῶν φοβερώτατον, mors omnium terribilium terribilissimum sit. Melius de morte Plato tulit iudicium, θάνατον ἐλάχιστον τῶν κακῶν, mortem, minimum malorum, appellans. Propius ad scopum Stobaeus atque Arrianus accedunt, quorum illi, τὸ θανεῖν, κακῶν φάρμακον μέγιστον, mors, optima calamitatum medicina, huic uero, λιμὴν πάντων ὁ θάνατος, mors, omnium malorum portus, audit. Non igitur mors ipsa, sed praeconcepta de morte opinio nos anxios, dubios & moestos reddit. Certe non uiuimus, uitaque, qua fruimur, morte longe deterior atque acerbior est, quamdiu mentis perturbationibus, in primis mortis metu affecti concutimur, ac nauis instar fluctibus maris conuulsae distrahimur. Mors sincero Christiano est ianua, est uia ad aeternam, quam nobis promisit, quam parauit Saluator noster, uitam. Quid? quod & ex ethnicis prudentiores hoc affirmarint & crediderint, uti Strabonis, quam de morte uitaque aeterna tulit, sententia constat, νομίζειν χρὴ, ait ille, τὸν μὲν ἐνθάδε βίον, ὡς ἂν ἀκμὴν κυομένων εἶναι, τὸν δὲ θάνατον γένεσιν εἰς τὸν ὄντως βίον καὶ τὸν εὐδαίμονα τοῖς φιλοσοφήσασιν. Et Maximus Tyrius, τὸν θάνατον, ἀθανασίας ἀρχὴν, καὶ γένεσιν μέλλοντος βίου, mortem, immortalitatis initium, ac futurae medium uitae, nuncupat. Nihil hinc causae uideo, cur uita nostra, quae innumeris taediis ac miseriis est referta atque obruta,

tam

tam arcte & sollicite retinenda? cur longaeuitas tam anxie, & saepe mediis minus licitis, quaerenda atque expetenda sit? Non quam diu, sed quam bene uiuas, ac quibus rebus uitae tuae tempus impendas, attentissimus attende. Cum nos denique uelimus, nolimus, quae uult, quae iubet uniuersi Creator, exequi teneamur, melius omnino erit, si hilares, promti, uigilantes, accincti, intenti, tanquam in acie armati, diuina ducti manu, e uita secedamus, quam illacrymantes, reluctantes, inuiti, dolentes, coacti, ui & impetu tracti, e uiuis surripiamur. Quotidie morimur, quotidie demitur aliqua pars uitae, & tunc quoque, cum crescimus, uita decrescit, ac corporis uigor uigentibus minuitur annis. Quicquid transit temporis, perit; hunc ipsum, quem agimus, diem, cum morte diuidimus. Tua igitur, qui haec uerba legis, intentissima semper sit cura, ut talem te cogitationibus, uerbis, factis, Sancti adiutus gratia Spiritus, praestes, qualem uelles esse, si iamiam esses moriturus. Omni hinc tempore, nos futuro, reiectis huius mundi sarcinis, itineri, alacres laetique, adornemus, ut merito Christi confisi, in uera peccatorum nostrorum agnitione & deprecatione, recta ad aeternam uitam, omnium plenissimam bonorum, proficiscentes euolemus. Qui hac ratione, futuri spe gaudii plenus, hunc mundum mundanaque generoso & bene composito contemnit & derelinquit animo, is uere *per sapientiam moritur*, is sapientissima uitam finit ratione, secutus in eo Paulum, cuius uita solus erat Christus, mors uero maximum, quod expectabat, quod desiderabat, lucrum, ἐμοὶ γὰρ, inquit, τὸ ζῆν χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος, mihi enim uiuere, Christus est, & mori, lucrum.

Hae meae in Plinianam sententiam coniecturae, a Scaligeri Heinsiique meditationibus non multum alienae

 sunt.

ſunt. Quale uero ac quantum, inter meam, & allegatorum explicationem auctorum, intercedat diſcrimen, ſequentibus iam eruere ac demonſtrare conabor. Vterque, tum Scaligerus, tum Heinſius, unam eandemque fouet ac propugnat opinionem. Vterque in refutando Dalechampii, Mercurialis & Salmaſii, *per ſapientiam mori*, phrenitidem interpretantium, dogmate, occupatiſſimus eſt. Vterque praeſentem Plinii locum, per Graecas loquendi formulas, τὸ μὴ ἀτάκτως θανεῖν, τὸ μὴ ἀμεθόδως θανεῖν, illuſtrare annititur. Quid ſit ſapientia, ſcribit Heinſius, hoc loco non uiderunt eruditi. Vnde error omnis & digladiatio. Quam uocem Plinii aetate, caſui, καὶ τοῖς παρὰ τάξιν γινομένοις opponebant. Vt, cum Tacitus dixit, in ſapientiam uertenda, quae caſus obtulit. Nihil tam eſt ἄτακτον, quam caſus; caſu, quae fiunt, ordinem non habent, inquit Auerroes. Ne Hebraeis quidem quicquam tam uſitatum eſt, quam ut ſapientia, pro certo ordine ponatur. Vnde fit, ut τὸ CHOCHNA καὶ τὸ KEDI ſemper opponatur. Alterum quippe ex ſe definitum, alterum τὸ ἄτακτον deſignat. Mori ergo dicitur per ſapientiam, qui ordine, καὶ ὀκ ἀτάκτως, & cum quodam artificio naturae moritur. Quale artificium ac τάξις ἐν ταῖς περιόδοις. Sapientia, quod ἀτελῶς ex more ſeculi nunc dicitur, eſt ſapientia naturae, ſiue ordo quidam definitus. Ipſe Plinius, ne dubitemus, ordinem hunc, legem dixit: *morbis enim quasdam leges natura poſuit.* Per ſapientiam mori eſt, ὀκ ἄνευ τάξεως θανεῖν. Quod Plinius uoluit, Graeci tui dicerent, ὥστε ἤδη καὶ νόσον τινὰ εἶναι, τὸ μὴ ἀτάκτως θανεῖν. Nam, quemadmodum medici proprium eſt, ἐυμεθόδως ἤγουν τεχνικῶς ἰατρεύειν, quod eſt Plinio, ſapienter ſeu per ſapientiam curare; ita & natura inuenit, quomodo quis per ſapientiam, &

quaſi

quasi artificio, extingueretur. Quod genium illius aeui spirat, quem non satis eruditi penetrarunt.

Ignoscant uero mihi manes Heinsii ac Scaligeri; ignoscant mihi horum doctissimorum uirorum fautores atque affectae, si pauca quaedam, quae circa allegatam explicationem monenda habeo, desideria ac momenta adiungam. Primum enim, nec Heinsius, nec Scaligerus, indicarunt atque exposuerunt, an quaeuis hic intelligatur infirmitas? uel, an certa duntaxat morbi species? ac quae & qualis? Non enim sufficit dicere, de illis morbis sermonem esse, qui certas habent periodos, uel qui, uti Heinsius loquitur, περιοδικῶς ὡς ἐπὶ τεταγμένȣ χρόνȣ, accedunt, abeunt, redeunt, intermittunt, remittunt, cessant, perimunt. In multis pariter aegrotis phrenitide laborantibus ac pereuntibus, descripta rerum facies, ac certae obseruantur periodi, ac de phreniticis simili plane iure dicere possum, eosdem ȣκ ἄνευ τάξεως θανεῖν. Cur igitur, his ita constitutis, Heinsius & Scaligerus tam acriter contra eos, qui phrenitidem hic a Plinio intelligi ac describi censent, disputantes, sibimet ipsis manifeste contradicunt. Deinceps, certum quidem, quod omnes, ex ordine ac lege naturae, mori teneantur, ἀπόκειται, scribit Paulus, τοῖς ἀνθρώποις ἅπαξ ἀποθανεῖν, hominibus semel moriendi iniuncta necessitas; sed hic naturae ordo, siue τάξις, neruum sententiae, *per sapientiam mori*, non exhaurit. Multo minus hoc naturae institutum, uti dicitur, ad periodicos saltem morbos, sed quoscunque, qui uitae imponunt finem, applicandum atque extendendum. Cui accedit, quod morborum periodi, non a quadam, quam alii sibi imaginantur, naturae prouidentia ac sapientia, sed a diuersa materiae peccantis, iam quiescentis, iam motae, uariaque solidorum ac fluidorum constitutione, non ex-

clusa

cluſo rerum externarum concurſu, dependeant. Vnde ſapientia, per quam mori ſcribit Plinius, nec ad morbos, morborumque periodos, nec ad mortem, mortisque, qui nullus mihi uidetur eſſe, ordinem, ſed ad effectus potius, quae mortem ſequuntur, emolumenta, reſtringenda. Etiam gentiles philoſophi animae immortalitatem agnoſcebant, magnaque illi poſt mortem parata gaudia, ſibi concipiebant. Horum, praeter alios, teſtem habemus Solonem, qui ſequentem in modum de futura poſt mortem uita diſſerit: τὸ μὲν σαφὲς εἰδέναι περὶ τῆς μελλομένης ζωῆς ἐν τῷ νῦν βίῳ ἀδυνατόν ἐστιν ἢ παγχάλεπον. Graeca denique formula, οὐκ ἄνευ τάξεως θανεῖν, qua ſuam ſententiam Heinſius illuſtrare ſtudet, τὸ Plinianum, *per ſapientiam mori*, non ſatis bene, nec ſatis diſtincte exprimit, imo, illi aliqua ex parte repugnat. Merito hic de morte dicere poſſumus, quod olim Archidamus de bello pronunciauit; ille enim a Peloponneſiaci ſociis belli ſollicitatus, ut certum tributorum expenſarumque modum & ordinem conſtitueret ac praeſcriberet, reſpondebat, ὁ πόλεμος οὐ τεταγμένα σιτεῖται. Eadem plane ratione maiorique ueritatis ſuffragio de morte aſſerere poſſumus, ὅτι ὁ θάνατος οὐ τεταγμένα σιτεῖται, quod nullum mors ordinem, nullum obſeruet modum. Quid in rebus humanis, quae omnes incertiſſimae, certius eſt morte? quid uero mortis genere? quid mortis hora incertius? Mors nullas agnoſcit leges; mors omnem reſpuit ordinem; mors modo, quem deſideramus, ſe non accommodat; mors non pietati, non eruditioni, non moribus, non robori, non aetati denique parcit; niſi quod eadem ſenibus eſt prae foribus, iuuenibus autem in inſidiis. Qualem tandem, τὸ οὐκ ἄνευ τάξεως θανεῖν, ſapientiam, cuius Plinius

alio

alio plane ſenſu mentionem facit, arguat, non perſpicio; & illi, qui intercluſo per laqueum ſpiritu, aut truncato capite, uel eroſis, inflammatis, obſtructisue, deglutito ueneno, uiſceribus, extinguuntur, ὀυκ ἄνευ τάξεως ἀποθνήσκουσιν. Quis uero, ſi ἀυτοχειρίας fautores excipias, affirmabit, huiusmodi mortis genere enectos, *per ſapientiam mortuos fuiſſe?* Quod reſtat, τὸ *mori per ſapientiam*, male ab Heinſio naturae appellari artificium, exiſtimo; alias certe, allegata ſententia optime militum ac heluonum morti accommodari poſſet. Horum uariae ſunt artes, uariis iidem utuntur adminiculis, quibus, tenui uitae filo abrumpendo, omni ſtudent ſedulitate. Huiusmodi uero homines *per ſapientiam mori*, a Sapientum abhorret mente; licet de iisdem optimo iure dicere queamus, quod artificio interemti pereant, & quidem, quod attinet heluones, ex merito: neque enim lex iuſtior ulla eſt, quam necis artifices arte perire ſua.

Sed, quo dilabor, redeo iam, ambagibus ac diuerticulis relictis, ad meas, quas omnino deſerui, meditationes. Prima citatum Plinii locum uice perluſtrans, *morbus per ſapientiam mori*, mihi nihil aliud innuere uidebatur, quam accommodatae ſubſidio diaetae, ſanitatem ſartam tectamque diutiſſime conſeruare, donec tandem, proſtrato ſolidorum robore, atque exhauſtis, annorum copia, uiribus, ex ipſis legibus ac neceſſitate naturae, animo bene compoſito atque ad mortem praeparato, integro intellectu, obeamus. Nam, quemadmodum ultima illa aetas, officina luctus, fex uitae, colluuies calamitatum, iamiam imminentis imago mortis, atque incurabilis, ex Romani deſcriptione philoſophi; morbus, ita propria pariter huic aetati ſapientia eſt, cuius conſilio omnes res, uita in primis & huic ſuccedens mors, finita ex uoto adminiſtratione, exoptatam aſſequuntur metam. Haec ſententia eo firmius

C pri-

primum menti meae infixa haerebat, quo eandem antiquorum principiis philoſophorum conuenientiorem deprehendebam. Ita Platoni mors ſenum facilis & cum uoluptate coniuncta eſt, ὁ δὲ θάνατος, ſunt illius uerba, μετὰ γῆρας ἰὼν ἐπὶ τέλος ἀπονώτατος τῶν θανάτων, καὶ μᾶλλον μεθ' ἡδονῆς γιγνόμενος ἢ λύπης. Eleganter haec explicat Seneca, quemadmodum in naue, ſcribens, quae ſentinam trahit, uni rimae aut alteri obſiſtitur; ubi plurimis locis laxari coepit & cedere, ſuccurri non poteſt nauigio dehiſcenti; ita in ſenili corpore aliquatenus imbecillitas ſuſtineri poteſt. Vbi uero, tanquam in putri aedificio, omnis iunctura diducitur, circumſpiciendum eſt, quomodo exeas. Nam nihil habet, quod ſperet, quem ſenectus ducit ad mortem. Huic uni intercedi non poteſt; quemadmodum enim ſenectus adoleſcentiam ſequitur, ita mors ſenectutem. Perſuaſum mihi hac ratione erat, quod *morbus per ſapientiam mori*, Plinio ſenectutem, & quae hanc, ſi cetera conſentiant, comitatur, ſapientiam, atque artem bene moriendi, denotet. Senectus quippe, per ſe morbis patet; ſenectus ipſa, ex communi plurimorum hominum ſuffragio, morbus eſt; ſenectus, canit Virgilius, debilitat uires animi, mutatque uigorem. Comici, grande onus, maximum taedium, graue odium, ac quamuis fere calamitatem delineaturi, ſenectutem allegabant. Incertius, φοβοῦ τὸ γῆρας, monet, οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον, metue ſenectam, non enim uenit ſola; nam, uti probe aduertit Plato, εἰς τὸ γῆρας πᾶν συῤῥεῖ τὸ τῆς φύσεως ἐπίκηρον καὶ δυσαλθές, uel, uti Sophron apud Stobaeum loquitur, τὸ ἀπεχθόμενον γῆρας ἅμα μαραίνον ταριχεύει. Quemadmodum quippe, Senecae mei eſt meditatio, ex amphora primum, quod eſt ſinceriſſimum, effluit, grauiſſimum, quodque turbidum, ſubſidit; ſic in aetate noſtra, quod optimum, in primo eſt. Id exhauriri in aliis potius

pati-

patimur, ut nobis fecem reſeruemus. Fruſtra, cum ad ſenectutem peruentum eſt, repetas adoleſcentiam; ſenectus, ſemel cum inuaſit, regreſſum non habet; ſenectutem ut adipiſcantur, omnes optant, eam accuſant adepti. Si quisquam, inquit Innocentius, ad ſenectutem proceſſerit, ſtatim cor eius affligitur, & caput concutitur; languet ſpiritus, & foetet anhelitus; facies rugatur, & ſtatura curuatur; caligant oculi, & oſcillant articuli; nares effluunt, & crines defluunt; tremit tactus, deprimit aeſtus; dentes putreſcunt, & aures ſurdeſcunt. His commotus Cato ſenior, ſenem peruerſae ac uitiis inquinatae uitae deditum, ſequentibus, miſeram, in qua conſtitutus ſit, conditionem indicans, ad ſeriam uirtutum culturam exhortatus eſt: noli aetatis tuae malis turpitudinem addere. Is certe, uti ob uitia corporis ſenectute effoeti, ac mentis a uirtutibus alienae, iure meritoque peſſimae aegrotis indolis annumerandus erat, ita idem artem ſapienter moriendi minus callebat, minus exercebat. Melius ſibi in his proſpiciebat Lacon ille Senex, qui interrogatus, cur tam promiſſam ac canitie exoſam barbam gereret, ἵνα βλέπων τὰς πολιὰς, reſpondit, μηδὲν ἀνάξιον αὐτῶν πράττω, ut nempe intuens canos pilos, nihil illis committam indignum. Nihil turpius, quam ſenex uiuere incipiens; luxuria cum omni aetati, tum ſenectuti foediſſima eſt. Reſiſtendum potius ſenectuti eſt, ex Catonis apud Ciceronem praecepto, eiusque uitia diligentia compenſanda ſunt, pugnandum, tanquam contra morbum, ſic contra ſenectutem; habenda ratio ualetudinis; utendum exercitationibus modicis; tantum cibi ac potionis adhibendum, ut reficiantur uires, non opprimantur. Nec uero corpori ſolum ſubueniendum eſt, ſed menti atque animo multo magis. Nam haec quoque, niſi, tanquam lumini, oleum inſtilles, ex-

tinguuntur senectute. Nulla omnino maior est calamitas, quam senectus uoluptatibus praemature accersita, ac uiribus corporis animique priuata; γέρων ἀνόητος, ait Plutarchus, ὥσπερ τρίβων παλαιὸς εἰς οὐδὲν ἐστιν εὔθετος, senex stultus, tanquam lucerna uetusta, ad nullam rem idoneus est. Senibus mortem prae foribus expectantem Nilus sistit, illisque capillorum candorem ostendens, necessariam, ad futurum, quod iamiam instat, iter, praeparationem serio iniungit, θρὶξ λελευκασμένη, scribens, τὴν ἐντεῦθεν τῆς ψυχῆς ἀποδημίαν βοᾷ καὶ διαμαρτύρεται, capilli albi, animam hinc breui abituram, tibi acclamant ac testantur. Maxime hinc Diogenes, anum, instar iuuenculae ornatam comtamque, conspicatus, irridet ac perstringit, hisce eandem alloquens: εἰ μὲν πρὸς τοὺς ζῶντας, πεπλάνησαι· εἰ δὲ πρὸς τοὺς νεκροὺς, μὴ βράδυνε, si uiuorum in gratiam te ornas, falsa teneris persuasione; sin uero mortuis placitura hoc facis, noli moras nectere, sed quantum potes, festina. Haec omnia perspexit, haec omnia allegato loco Plinius explicauit; quin imo, ex illius mente, senectus, ob plura, quae enumerat, uitia, ne quidem humanae annumeranda uitae. Sed, quo haec clariora ac certiora, eo minus, expensis sedulo allegati capitis momentis atque argumentis, propositae sententiae patrocinium inueniebam. Per se quidem ex tenus hac disputatis perspicuum, quod senes termino mortis uiciniores, ac quod diu uiuentibus natura, ut creditor immitis atque importunus, suum sibi ius, suum flagitans debitum, instet, illeque, qui modo omnia excelsa spirabat, iam imago sui, ac foetens, terrae mandandum cadauer, euadat; ast, quod senectus per se sit morbus, quod sapientia senibus duntaxat competat, quod τὸ *mori per sapientiam*, ad senectutem senesque saltem spectet, nullus ex allegato Plinii lo-

eo eruet ac demonstrabit. Sequentes uero inueni rationes, quas perpendens, colligebam, hic minime a Plinio solam senectutem, aut morbos mortemque senum innui ac describi. Primum enim, senectus cum infantia in una atque eadem a Plinio ponitur classe; deinceps idem senectutis in poenam uiuacis mentionem facit. Haec, si conferas cum sententia Plinii, qui *breuitatem uitae* pro praecipuo naturae beneficio reputat, cum quo, τὸ *mori per sapientiam*, intime cohaeret, non tam senum, quam infantum potius mortem indicari atque intelligi, animaduertes. Prouocat hinc ipse PLINIVS (b) ad eorum testimonia, qui, *non nasci, optimum iudicarunt, aut quam celerrime denuo aboleri.* Est ex eorum numero Euripides, τὸ μὴ γενέσθαι, scribens, κρεῖσσον, ἢ φῦναι βροτοὺς, non nasci, quam nasci homines, melius puto. Consentit cum hoc Theognis, sequentibus mentem suam de hominis uita ac morte declarans: ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον, μήδ' ἐισιδεῖν αὐγὰς ὀξέος ἠελίου· φῦντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι, καὶ κεῖσθαι πολλὴν γῆν ἐπαμησάμενον, hoc est, optimum omnino hominibus est, non nasci, nec intueri feruidi radios solis; genitum uero, quam primum ad orci migrare portas, & iacere copiosa obrutum terra. Ex eodem sapientiae gentilis fundamento Menander asserebat: ὃν οἱ Θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος, dilectus nempe Diis in iuuentute moritur. His denique addendum, quod senectus per se non sit morbus; nec omittendum, quod illi in senectutem ac senes maxime iniusti atque iniurii sint, qui uitia indiuiduorum, toti generi, tanquam communia, tribuunt, ac dehinc senes promiscue rugosos, silicerneos, acherunticos, suspiciosos,

 apri-

(b) Hist. Natur. edit. cit. praefat. lib. 7. p. 104.

apricos, morosos, subdolos, incredulos, diffidentes, timidos, duros, bis pueros, nimis ad rem attentos, sibi ab unoquoque praecauentes, omnia secus interpretantes, sola calentes febre, nullis nisi sibi ignoscentes, nisi sibi indulgentes, in reprehensionibus seueros, acres in monitis, immemores iuuentutis suae, totos in baculum pronos, & lassum trahentes uestigium, marcentibus deformes oculis, putrique & saniem continuo stillante exosos naso, atque auribus corrosis molestos, appellant. Tantum enim abest, ut haec in omnibus deprehendamus senibus, ut potius multi ex iisdem uigore ac functionibus mentis & corporis iuuenes omnino superent, aut ad minimum paria iisdem praestent. Talis fuit Cyri apud Xenophontem senectus, qui annis admodum diues, cum iamiam ex hoc mundo discessurus esset, sermone ad circumstantes habito, negat, se unquam sensisse senectutem suam imbecilliorem factam, quam adolescentia fuisset. Vegeta pariter & iucunda senectute usus fuit Q. Maximus, qui, teste Catone apud Ciceronem, ualde senex, suasor legis Cinciae de donis ac muneribus fuit; qui & bella gerebat, ut adolescens, cum prorsus aetate grandis esset; & Hannibalem iuueniliter exultantem patientia molliebat. Isocrates eum librum, qui Panathenaicus inscribitur, quarto & nonagesimo confecit anno, & quinquennium postea, uti idem Cato nos docet, uegetus hilarisque uixit. Simile, imo praestantius adhuc exemplum praebet Leontinus Gorgias, qui nunquam a studiis, industria ac sobrietate descissens, centum & septem compleuit annos, ac cum ex eo aliquando quaereretur, quomodo tam tranquille molestam illam aetatem ferre ac transigere possit? nihil habeo, inquit, quod accusem senectutem. Platoni temperantia ac diligens sui tutela, senectutem optime con-

conſtitutam procurauit, nam uno & octogeſimo anno, ſcribens, uti Seneca & Tullius habent, mortuus eſt. Quid dicam de Galeno, qui, ex relatione Fulgoſi, proſpera ſemper uſus ualetudine, nullo ante correptus morbo, aetate uſque ad centum & quadraginta annos producta, deceſſit? Hippocrates Cous, cui plurima debebat Galenus, annos natus ſexaginta nouem ſupra centum, huic ualedixit mundo. Licet etiam, creſcentibus annis, corporis uires in ſenibus aliquantulum imminuantur, non tamen ea, niſi intemperantia ſenectutem anteceſſerit, aut comitetur, uitia, quorum modo facta mentio, in illis inueniemus. Certiſſimum horum teſtimonium ſuppeditat Cato apud Ciceronem, qui de ſe ipſo ita loquitur: Pythagoraeorum more, exercendae memoriae gratia, quid quoque die dixerim, audiuerim, egerim, commemoro ueſperi. Hae ſunt exercitationes ingenii, haec curricula mentis. Hoc queo dicere, non me quidem iis eſſe uiribus, quibus aut miles bello Punico, aut quaeſtor eodem bello, aut conſul in Hiſpania fuerim, aut quadriennio poſt, cum tribunus militum depugnaui ad Thermopylas; ſed tamen, ut uidetis, non plane me eneruauit aut afflixit ſenectus, non curia uires meas deſiderat, non Roſtra, non amici, non clientes, non hoſpites. Non igitur ipſa ſenectus, ſed neglecta temperantia, neglecta uoluptatum uitaeque moderatio, tanquam cauſae incommodorum, quibus affligeris, accuſandae. Sed ita eſt, ſe quisque abſoluere geſtit, transfert & proprias aliena in crimina culpas; uel, uti mentem noſtram probe expreſſit Salluſtius, ſin, inquiens, prauis cupiditatibus, ad inertiam & uoluptates corporis peſſundatus eſt, pernicioſa libidine paulliſper uſus: ubi per ſocordiam uires, tempus, ingenium defluxere, naturae infirmitas accuſatur,

ſuam

ſuam quippe culpam actores ad negotia transferunt. Quod ſi hominibus bonarum rerum tanta cura eſſet, quanto ſtudio aliena, ac nihil profutura, multum etiam periculoſa petunt, eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus gloria aeterni fierent. Has cautelas, haec monita in ſuccum & ſanguinem conuertens Ludouicus Cornarus, Nobilis Venetus, ſuo corpori, ſuae menti, ſuae ſenectuti optime proſpexit, qui in iuuentute, peruerſae uitio diaetae, uariis affectus morbis, cum nullum ex medicamentis perciperet emolumentum, ſola uitae ſobrietate ac continentia, in omnibus, quae ſanitati conſeruandae ſeruiunt, exacte obſeruata, effecit, ut longaeuus, ſanus, incolumis, tranquillus ac uegetus diu ſuperſtes fuerit. Notatu atque imitatu digniſſima ſunt, quae idem de exoptato ſenectutis ſuae ſtatu refert, indicatis enim ac demonſtratis, quos a ſobrietate ſenſerit, fructibus, in haec erumpit uerba: ex his perſpicuum eſt, uitam, quam ego uiuo in hac aetate, non eſſe uitam mortuam, triſtem, moroſam, ſed uiuidam, laetam, iucundam. Neque, ſi mihi optio detur, uelim mutare aetatem, & corporis mei ſtatum cum iuuenili eorum, qui ſectantur ſuos appetitus, etſi optimi ſint temperamenti, & naturae robuſtiſſimae; quia tales quotidie ſunt expoſiti mille morbis, & mortibus, ſicut quotidiana experientia docet, & ipſe in me ſum expertus, cum iuuenis eſſem. Scio, quam illa aetas ſit inconſiderata, & propter caloris abundantiam animoſa, & ſibi ubique praefidens, ſpe bona in omni re, tum propter defectum experientiae, tum quia ſe putant ad omnia ſatis firmos ac ualidos. Vnde audacter ſe quibuscuis periculis exponunt, & abacta ratione, traditoque rationis imperio in manus concupiſcentiae, quaerunt ubique ſatisfacere ſuis deſideriis. Nec aduertunt miſeri, ſe hac

ratio-

ratione multos morbos, ac ſaepe mortem praematuram ſibi accerſere, quorum malorum alterum eſt toleratu acerbum, alterum intolerabile ac tremendum. Mors enim apparet intolerabilis omnibus ſenſuum & carnis mancipiis, & potiſſimum iuuenibus, quibus ſummum malum uidetur, mori ante tempus. Eadem tremenda illis, qui peccata ſua, quibus uita iſta mortalis eſt plena, & uindictam diuinae iuſtitiae, in poenarum aeternitate conſiderant. Ego uero contra ab utroque hoc malo ſum immunis; a morborum metu, quia certus ſum, non facile me poſſe in morbum incidere, morborum cauſis per ſanctam medicinam ſobrietatis exciſis. A mortis anxio metu, quia tot annorum uſu didici, locum dare rationi. Vnde non ſolum turpe mihi uidetur, timere id, quod uitari nequit, ſed ſpero etiam, cum ad illud punctum uenero, non modicam, gratia Ieſu Chriſti, ſentire conſolationem. Praeterea finis iſte adhuc procul abeſt; ſcio enim, me, fortuitis euentibus ſepoſitis, non moriturum, niſi per puram reſolutionem, eo, quod per uitae meae regulam omnes alios aditus morti occluſerim. Et credo, animam meam, quae in huius mei corporis ſtatione nihil inuenit, niſi pacem ac concordiam, tum inter humores, tum inter ſenſum & rationem, non facile ab ea receſſuram, & multis annis opus fore, ut ab ea expellatur. Vnde uideor mihi certo poſſe concludere, me multos adhuc annos uicturum proſpera ualetudine, fruendo huius mundi aſpectu & pulchritudine, & ſperando, idem me facturum, per gratiam Dei, in altero, idque totum adminiculo uirtutis & ſanctae ſobrietatis, cui me addixi, amicum me conſtituens rationis, atque inimicum ſenſus & appetitus. Quod omnino cuilibet facile eſt factu, qui uult uiuere, prout decet hominem. En egregios ſobrie-

D tatis

tatis effectus! en senectutem morborum expertem! en artem bene uiuendi, ac sapienter moriendi!

Dum his occupatus cogitationibus in hanc illamue distrahor sententiam; *humanae breuitatem uitae*, quam Plinius commemorato loco tantopere praedicat, tantopere commendat, considerans, ad praematuram partim, partim uiolentam, quam nimio literarum studio, perpetuis lucubrationibus, constanti sublimiorum rerum perscrutatione, nonnulli eruditorum, aut αὐτοχειρία, sic dicti heroes, sibi accersunt, aut inferunt, deducor. Nullum est dubium, quod meditationes diutius continuatae ac protractae, sisyphiaque studiorum, sine ulla requie ac recreatione, cultura, uires prosternat, uiamque ad diuersos morbos, & praematuram mortem sternat, ita, ut mors hoc uitae genus sequens, *sapientiae effectus*, & huiusmodi homines *per sapientiam mori*, uideantur. Finge iam mihi *exemplar sapientiae*, Erasmi est sententia, hominem, qui totam pueritiam, atque adolescentiam in perdiscendis disciplinis contriuerit, & suauissimam uitae partem perpetuis uigiliis, curis, sudoribus, perdiderit, semper parcus, tristis, tetricus, pallore, macie, ualetudine, lippitudine confectus, senio canitieque multo ante tempus contracta, *ante diem fugiens e uita*. Annon uidetis tetricos istos, & uel philosophiae studiis, uel seriis atque arduis addictos negotiis, priusquam plane iuuenes sint, iam consenuisse, uidelicet curis & assidua acrique cogitationum agitatione, sensim spiritus & succum illum uitalem exhauriente. Nam, qui erudite ad paucorum doctorum iudicium scribunt, quique nec Persium, nec Laelium iudicem recusant, mihi quidem miserandi magis, quam beati uidentur. Addunt, mutant, adimunt, reponunt, repetunt, recudunt, nonum in annum premunt, nec unquam sibi satisfaciunt,

ac

ac futile praemium, nempe laudem, eamque perpaucorum, tanti emunt, tot uigiliis, tantaque somni, rerum omnium dulcissimi, iactura, tot sudoribus, tot crucibus. Adde nunc ualetudinis dispendium, formae perniciem, lippitudinem, aut etiam coecitatem, paupertatem, inuidiam, uoluptatum abstinentiam, senectutem praeproperam, *mortem praematuram*, & quae sunt alia eiusmodi. Non opus esse iudico, plura, ad huius sciti demonstrationem, exempla allegare, cum constans experientia, optima rerum magistra, multa quotidie suppeditet testimonia. Quemadmodum uero certum ac perpetuum, quod praematurus, rigida literati laboris continuatione, neglecta necessaria corporis cultura, obitus accersatur, ita huiusmodi literati, non uiris doctis ac genuinis sapientiae cultoribus sunt annumerandi. Quot enim inter eosdem reperiuntur, peregrinarum studio linguarum addictissimi, perenni memoriae exercitio, corpus mentemque, sine remissione, fatigantes & eneruantes, qui, psittacorum quidem more, hac illaue dialecto cum exteris gentibus loqui possunt? praeter haec autem, uel necessariarum cognitione rerum omnino destituuntur, uel praeconceptis uulgi opinionibus occupati deprauatum obtinent iudicium; unde rerum pretiis non rite perspectis, mala pro bonis amplectuntur. Quot praeterea ex sic dictis sapientibus ac doctis recenseri possunt, qui in prosequendis studiis suis indefessi, montes ipsos de loco mouere uidentur? sin res respicias, quibus operam, tempus ac sanitatem impendunt, easdem ne commemoratione dignas inuenies; tales, iam de euincenda plurium mundorum existentia, uel inuenienda per aerem nauigandi methodo solliciti, inanibus mentem corpusque lassant cogitationibus. Quid dicam de chiromantia, pyromantia, necromantia,

mantia, hydromantia, aſtrologia diuinatrice? perappoſite in harum nugarum ſtudioſos quadrat Demonacis reſponſio, qui a curioſis quibusdam hominibus interrogatus, an mundus eſſet animatus globoſusque? περὶ τȣ͂ κόσμȣ πολυπραγμονεῖτε, περὶ δὲ τῆς ἑαυτῶν ἀκοσμίας ȣ̓ φροντίζετε, uos, inquit, de mundo, ſuperuacua occupamini curioſitate, at ueſtram ipſorum immunditiem ac turpitudinem non conſideratis ac curatis. Habent & noſtra tempora plures, qui Thaletem imitantes, ac coelum intuentes, ea, quae Deus ſibi ſoli reſeruauit, explorare ſatagunt, nec ea, quae ante pedes oculosque ſunt, pericula ac damna, in terris aduertunt. Quot denique, qui omnia ſcire ſtudent, ab una ad alteram progredientes ac redeuntes ſcientiam & artem, meris mentem, hinc inde uagando, chimaeris, ac corpus, uitae ſedentariae nimis indulgendo, impuritatibus replent. Nihil dulcius & iucundius eſt, quam ſua agere; fac tua, quae tua ſunt, cetera linque Deo. Obſerua, quae urget Xenophon, ἀδύνατον, ſcribens, πολλὰ τεχνώμενον ἄνθρωπον, πάντα καλῶς ποιεῖν, neminem ſcilicet poſſe multa ſimul facere, & eadem recte. Indicati homines genii ſapientum catalogo haud accenſendi, mihi enim ſapiens Aeſchylum ſequenti eſt, ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, ȣ̓χ ὁ πολλὰ εἰδὼς, qui neceſſaria, non qui multa ſcit. Pertinet & huc Platonis dictum, ὁ σοφὸς αὐτῷ δεῖ μάλιστα εἶναι σοφὸς, ſapiens ſibi ipſi ſapientia ſua ſuccurrere debet. Nec quicquam ſapit ſapiens, qui ſibi ipſi prodeſſe nequit. Ne ſapientis quidem nomine huiusmodi dignus, ac ſophiſta a Menandro adaequate dicitur: μισῶ σοφιστὴν, ait idem, ὅστις ȣ̓χ αὐτῷ σοφὸς. Nam doctrina debet ad facta tendere, non otii, aut inutilis loquacitatis cauſa uſurpari. Morbi dehinc, ac praematura mors, quae tali peruerſa ſtudiorum cultura acceleratur, non *ſapientiae* ſtudio tribuenda, multo minus pro

ſapien-

sapientiae, sed dementiae potius effectu habenda. Sapientia quippe non tam in rerum cognitione, quam genuino cognitarum ac perspectarum usu consistit, cuius auxilio & beneficio plures sapientes, uti antecedentibus iam probatum exemplis, non longaeuitatem, sed senectutem quoque morbis liberam adepti sunt. Sit igitur modus in rebus, sint certi denique fines; studia quandoque cum corporis motu permutentur; seriis sepositis, concessa corporis uires recreatione excitentur ac reuocentur. Et corporis cura, monet Basilius, necessario habenda est, non ipsius gratia, sed, ut seruitio illius ad philosophica studia uti possimus. Impossibile enim est, nisi famulatum corporis ad philosophiam obtemperantius habeamus, uel diuinis lectionibus operam dare, uel mente in corpore aegro languente, orationi conuenienter insistere, uel omnino quicquam eorum, quae ad philosophiam conferunt, in nostrorum sociorum utilitatem operari. Iustam, si haec respicias, S. Antonius habebat caussam reprehendendi illum, qui corporis exercitia, quibus una cum Sociis, ualetudinis ergo, Antonius utebatur, mala iudicabat; quamobrem, ait ille, tu nostro hoc offenderis exercitio, quod hic cum ualetudinis & corporis nostri commodo instituimus, quod sine dubio, si nimium affligeremus, corrupturi essemus. Quod caret alterna requie, durabile non est. Minime uero hinc putet quis, studia friuole esse tractanda; indefessam eadem requirunt curam, quae tamen ita suscipienda, ut necessariam corporis & ualetudinis habeamus rationem. Pessimus hinc illi literis ac suis rebus consulunt, qui rerum cognitarum culturam atque exercitium, finitis iam, uti formula habet, annis Academicis, deserentes, otio ac uoluptatibus seruiendo, tempus, quo nihil pretiosius, inutili-

 tili-

tiliter transigunt, imo perdunt. Etiam in senectute sapientiae studium continuare ac prosequi nos decet, similia Diogenis factis praestantes, qui iam senex a quodam admonitus, ut iam a literarum laboribus quiesceret, τί δὲ inquit, εἰ δολιχὸν ἔδραμον, πρὸς τῷ τέλει ἔδει με ἀνεῖναι, καὶ μὴ μᾶλλον ἐπιτεῖναι; quid, si in stadio currerem, utrum oportet iam metae uicinum a cursu remittere, an magis intendere? Simile quid de Solone Atheniensi refertur, qui, quotidie aliquid addiscendo, senior factus, cum summa uirium prostratio appropinquantem denunciaret mortem, atque amici lecto assidentes inter se disserent, caput attollens ad audiendum inclinauit, atque interrogatus, quem in finem hoc faceret? ut perspecto, respondit, disputationis uestrae argumento, doctior & sapientior moriar. Ea ratione, ea tranquillitate, mortem imminentem expectare, uitamque eo sapientiae amore finire, est utique *per sapientiam mori.* An uero haec explicatio Plinianae sensui sententiae satisfaciat, anceps omnino ac dubius haereo, cum Plinius allegato capite, ac tum antecedentibus, tum sequentibus, literarum culturam cultoresque, atque hinc expectanda uel emolumenta, uel detrimenta, ne unico quidem uerbo commemoret, ac de nulla alia re, quam humanarum inconstantia ac miseria rerum disserens, fati prouidentiam ac uitae laudet breuitatem.

Nunc demum, Pliniana opera manu terens, menteque uoluens & perquirens, facilem expeditamque dubiae, quae animos in contraria uocauit, & coniecturarum multitudine distraxit, sententiae explicationem, imo perspicuam illius ex ipsis Plinii scriptis erutam demonstrationem inuenisse mihi uideor. Nullum alium hic Plinius morbum, quam αὐτοχειρίαν innuit, quae, ex mea

men-

sententia, grauissimus ac perniciosissimus mentis deliran-
tis, desperantis, uerum ueri Dei cultum ignorantis, ab omni humanitate alienae affectus atque effectus est. Sin uero Plinium Pliniique principia, Stoicae erroribus philosophiae inquinata, respicias, excelsi erit uirtus animi, qua diffracto destructoque, per ensem intra pectus adactum, aliamue similem laesionem, corporis carcere, dissolutisque, quibus anima detinebatur, compedibus, eadem iam sui reddita iuris, ad Elysios, quos sibi fingebant, campos, laeta, ouans atque exultans migrat. Quocunque uero modo αὐτοχειρίαν definiamus, atque explicemus, hoc tamen certum semper manebit, quod mortem αὐτοχειρίᾳ inductam, sine ui atque iniuria humano illata corpori, ac hanc sequente morbo, quem mors excipit, haud potuerit sibi Plinius concipere. Morbus uero ac mors, αὐτοχειρίαν sequens, pro *sapientiae* ac fortitudinis fructu a Plinio habentur, ita, ut τὸ *mori per sapientiam*, uoluntariam, quam sibi quisque, uitae huius pertaesus, aut ignominiam fugiens, consciuit, necem, significet. Hinc Plinius (c) *incertum ac fragile munus naturae*, hominum incolumitati prospiciens, appellat. Hinc ab eodem *malignum ac breue*, quicquid natura mortalibus dedit, dicitur. Hinc naturam, *ob tot periculorum genera, tot morbos, tot metus, tot curas, toties inuocata morte, ut nullum frequentius sit uotum*, accusans, denuo, *uitae breuitatem*, tanquam *maximum*, quod hominibus a natura sit concessum, *beneficium*, allegando, excusat, defendit, laudat. Perinde certe, ac si Plinius innuere ac demonstrare uoluisset, quod, uti unica sit in uitam uia, ita mille modis, homini, si libeat, exire liceat, modo prudentia utatur, fortique sit animo. Ne uero aliquid Plinio affingere uidear, a mente illius remotum,

iam

(c) Hist. Natur. Lib. 7. cap. 50. p. 128

iam allegatorum ueritatem ac certitudinem, ipsissimis Plinii euictam uerbis uobis sistam. Hac ratione idem, (d) uenenorum in atroci morbo usum approbans, asserit: *eam uitae esse conditionem, ut mori plerumque etiam optimi portus sit.* Allegat porro PLINIVS (e) populos Hyperboreos, quos felices dicit, de quorum uita & morte, sequentia annotauit: mors non nisi satietate uitae epulatis delibutisque luxu, ex quadam rupe in mare salientibus. *Hoc genus sepulturae beatissimum.* Propius idem (f) ad scopum accedit, & quae eiusdem sit mens, clarius in descriptione gentium Indiam incolentium occupatus declarat, ubi haec relata leguntur: quintum genus celebratae illis, & prope in religionem uersae, *sapientiae deditum, uoluntaria semper morte, uitam, accenso prius rogo, finiunt.* Confer iam haec, & concilia, quaeso, cum ea, de qua disputamus, sententia. Venena, mortis accelerandae ergo, approbare; hominum se ipsos interficientium atque in mare praecipitantium *sepulturam beatissimam* dicere; gentem illam, quae se ipsam ignis ui ac tortura perimit, *sapientiae deditam* pronunciare, haec omnia, haec inquam, sufficientia sunt argumenta, quibus cognoscimus, a Plinio αὐτοχειρίαν admitti tanquam laudabilem, eaque ratione procuratam mortem, esse *mori per sapientiam.* En miserum philosophiae gentilis, Stoicae praesertim, statum! en graues, quos eadem fouet, errores! Non sum nescius, plures uiros graues, ac sic dictos sapientes, αὐτοχειρίαν, pro morte honesta ac gloriosa, eaque extinctos pro sapientibus ac fortibus habuisse. Reticeo, quae passim in Senecae scriptis occurrunt. Memoria plane indi-

(d) Hist. Natur. edit. cit. lib. 25. cap. 2. p. 449.
(e) Lib. 4. cap. 12. p. 59.
(f) Lib. 6. cap. 19. p. 88.

indignus est, uafer ille ex cacodaemonum censu Silenus, qui, mortem uitae aerumnis potiorem esse, persuasus, cum spe, e malis suis eluctandi, a Rege Mida captus, destitueretur, laqueo misera prorsus ratione suspensus uitam finiuit, illud Agathii succinendo, se consolans: τὸν θάνατον τί φοβεῖς, τὴν ἡσυχίης γενετῆρα, τὸν παύοντα νόσους, καὶ πενίης ὀδύνας; μοῦνος ἅπαξ θνητοῖς παραγίνεται, οὐδέποτ' αὐτὸν εἶδέ τις θνητῶν δεύτερον ἐρχόμενον. Sufficiant haec, Cassii, Bruti, Titinii, Q. Catuli, Lucretiae, Imilconis, aliorumque, qui se ipsos uita priuarunt, exempla ne adducam quidem. Leonidas percontanti, quam ob causam fortes uiri gloriosam mortem ignominiosae uitae anteponant? ὅτι, inquit, τὸ μὲν τῆς φύσεως ἴδιον, τὸ δὲ αὐτῶν εἶναι νομίζουσιν, quoniam scilicet naturae proprium alterum, alterum peculiariter suum esse ducunt. Misera sane ratio, & magis adhuc huiusmodi hominum conditio miseranda. Bias melius rem acu tetigit, ille quippe interrogatus, quaenam mors mala censenda? ὁ θάνατος ὁ ἀπὸ τῶν νόμων ἐπαγόμενος, mors, respondit, quam leges dictitant. Longe adhuc deteriorem, turpiorem, magisque abominandam iudico αὐτοχειρίαν. Si enim huiusmodi homo aliquid mortis dignum poena commisit, adeundus magistratus, atque expectanda, quam iudex feret, sententia. Si uero ab huiusmodi crimine liber atque immunis est, cur, se ipsum, innocentem, omnisque expertem culpae, occidens, carnifice crudelior existit? cur, sine causa, diuinis repugnans praeceptis, in propria saeuit uiscera? Multi iam gentilium sapientum, αὐτοχειρίαν, tanquam mentis prorsus emotae effectum, damnarunt, quibus merito Rex Dionysius iunior annumeratur, qui regno pulsus, ab impudentibus irrisus atque interrogatus, quid tibi Plato ac philosophia profuit? τὸ τηλικαύτην, regessit, τύχης μεταβολὴν ῥα-

 δίως

δίως ὑπομένειν. Multum omnino, tantam enim fortunae mutationem, quae a regio sceptro ad scholasticam relegat ferulam, aequo ferre animo, nonnisi sapientis est. Vita quid charius? quid amore uitae maius? quid cura sanitatis ac longaeuitatis mortalibus antiquius? Cogitationes omnes, artes, ingenium, industria, uires, affectiones ipsae, uel perferendae, uel conseruandae uitae deseruiunt. Quid igitur crudelius, quid immanius, quid atrocius esse potest? quam uitae suae, arrepto ferro, uel laqueo, deglutito ueneno, incisis, uel contortis compressisque iuguli uasis, aut protracta diutius inedia, uim inferre. Ac, quod omni dolore acerbius, omnique calamitate perniciosius, huiusmodi homines leuiorum impatientes malorum, dum desperatis rebus finem quaerunt, in grauissimas aeternasque, quae nullam unquam admittunt medelam, aerumnas se praecipitant. Tam seueram homicidii poenam, tam serio, Deus inculcauit; qua afficietur ille, qui sibi ipsi necem consciuit? Non occides, Dei est mandatum, non occides alterum, ergo nec te. Nullus tam immanis est homicida, quam qui sibi ipsi non parcendo, spontanea uitam abrumpit morte. Quanto propinquiorem quisque peremerit, tanto iudicatur immanior; qui ergo se ipsum occidit, nequissimus omnium est homicida, quia nemo est homini semet ipso propinquior. Hoc dicimus, uerba sunt Augustini: hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem, spontaneam mortem sibi inferre debere, uelut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas. Neminem, propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere grauissimum proprium, quem non polluebat alienum. Neminem propter sua peccata praeterita, propter quae magis hac uita opus est, ut possint poenitendo sanari. Neminem, uelut desiderio

uitae

uitae melioris, quae poſt mortem ſperatur, quia reos ſuae mortis melior poſt mortem uita non ſuſcipit.

Quemadmodum uero, in hanc ſententiam, uno omnium uerorum Chriſtianorum ore approbatam, omnibusque genuinorum philoſophorum calculis confirmatam, pedibus diſcedo, ita mihi opinio Plinii, αὐτοχειρίαν, tanquam artem *ſapienter moriendi*, commendantis, neutiquam probatur. Haud mediocriter quoque meae in Plinianum apophtegma meditationes a Dalechampii, Mercurialis & Salmaſii explicatione diſſident. *Morbus* enim, quo *per ſapientiam mori*, Plinius tradit, allegatis autoribus eſt *phrenitis*, quam a Plinio *morbum ſapientiae*, ſequenti capite appellatam fuiſſe, unanimi affirmant conſenſu. Veriſimiliorem, inquit Salmaſius, non diffitebor illam mihi ſemper eſſe uiſam Mercurialis ac Dalechampii ſententiam, qui Φρενῖτιν intelligi putarunt. Ita certe Φρενῖτις dici poteſt τῶν φρενῶν νόσος, uti ἀρθρῖτις τῶν ἄρθρων, ac πλευρῖτις τῶν πλευρῶν. Quidni, inquam, ſapientiae morbus certe dicatur, ut lateris morbus, & articulorum dici Latinis conſueuit, quam pleuritin, aut arthritin, unica uoce uocant Graeci? Certe Φρένας pro ſapientia Graeci iidem paſſim uſurpant, unde Φρενήρης ſapiens ab illis nuncupatur, qui tamen & deſipientem ſic uocare ſolent. Vtriusque enim ſignificationis χρῆσιν adnotant ueteres Grammatici. Etymologicum magnum habet Φρενήρης, Φρόνιμος ἢ παράφρων. Plinius eo capite, quo notaſti, *per ſapientiam mori*, dixit, ac capite ſequenti longe clarius, *ſapientiae aegritudinem* appellat, quam uix aliter interpretari liceat, quam Φρενῖτιν. Praecipua huius ſententiae fundamenta quae Salmaſius allegat, ſunt, quod 1) Φρὴν mentem, & Φρένες ſapientiam, ac hinc Φρενῖτις *ſapientiae morbum* Graecis denotent; 2) quod Plinius ſequenti capite, *morbum*

sapientiae alleget, atque ad Hippocratem prouocans, eadem, quae apud Coum in phrenitidis descriptione occurrunt, signa enumeret; 3) quod Φρενήρης & sapientem, & dementem, ex usu Graecis recepto, significet, unde, τὸ *per sapientiam mori*, idem esse, ac Graecis, 4) τὸ φρενιτικὸν ἀποθνήσκειν, uel τῶν φρενῶν ἐκστάσει τελευτᾷν. Nullus uero harum rerum gnarus, mihi uitio uertet, si haec argumenta futilia omnique demonstrandi facultate destituta dico. Sunt utique φρὴν mens, & φρένες sapientia, seu membranae cerebri, illa primitiua, a quibus φρενῖτις deriuatur. Est omnino φρενῖτις, *morbus sapientiae*, hoc est, amentia, delirium, febrem comitans acutam. Est sane φρενῖτις ab Hippocrate descripta, *morbus sapientiae*, quem commemorat Plinius. Sed, quid inde? nihil aliud prorsus, quam homines hoc modo obeuntes, non *per sapientiam*, sed per dementiam, *mori*. Verum φρενήρης, regeris, Graecis & sapientem, & dementem, indicat. Ast, quid haec ad praesentis sententiae Plinianae explicationem. Hic enim non de genuina, uocabuli φρενήρης, sed phraseos, *per sapientiam mori*, significatione sermo est. Vbi uero, & a quo, sapientia pro dementia, uel dementia loco sapientiae, in exacta rerum descriptione, adhibita fuit. Ex mente Salmasii, τὸ *mori per sapientiam*, idem esset, ac *mori per dementiam*. Quod a Plinii sententia, atque omni, quae hic indicatur, sapientia, plane abhorret. Nec phrenitis, mortis causa, sed prodromus est; imo plurimi aegroti phrenitide affecti, ante mortem, ad se redeuntes, & dictis & factis se omnis amentiae expertes esse, & hinc non ex phrenitide, sed alia plane causa, cuius effectus pariter fuit phrenitis, obire, docent ac demonstrant. Reliqua, quae ad sui sciti defensionem urget Salmasius, nullius plane sunt momenti, nam praeter phrenitidis signa, ab Hippocrate descripta, quibus huius mali praesentiam cognoscimus, nihil quicquam inuenies. Verum, quid haec ad rem? Maximae autem dignitatis argumentum, a Beuerouicio suppeditatum, neglexit Salmasius; Abderitae enim, cum Democritum iam ridentem, iam profundioribus inhaerentem cogitationibus conspicerent, arbitrantes, eundem, ex nimio sapientiae studio, amentem esse factum, his ad Hippocratem scriptis, eius praesentiam atque opem efflagitabant, implorabant, sequentem morbi caussam adducendo: ὗτος ὑπὸ πολλῆς τῆς κατεχούσης αὐτὸν σοφίης νενόσηκεν. Ea plane ratione, uti de Cleombroto refertur, qui Platonis librum de animarum immortalitate legens, ex sapiente amens factus,

se

se in mare praecipitauit. Praesens historia illustrandae supra a nobis datae loci Pliniani explicationi, αὐτοχειρίαν respicienti, seruit. In superiori autem Abderitarum dicto, quod apud Hippocratem extat, si expendamus, unde idem sit profectum, facile tota lis simul & semel dirimetur. Populus erat, magnus ille errorum magister, in quo nec mens, nec ratio, nec consilium, nec auxilium, qui stultissime de rebus statuque Democriti iudicans, haec ad Hippocratem perscripta miserat. Ea de causa, Hippocrates e longinguo primum Democritum contemplans, eius actiones examinans, & cum eo de diuersis rebus, propius accedendo, sermonem instituens, pronunciabat: non Democritum, sed Abderitarum populum amentia laborantem, cerebri purgatione, helleboro perficienda, opus habere. Non ignoti alias sunt casus, ubi literati in amentiam, praecipue in sic dictam maniam ac melancholiam hypochondriacam, incidunt, ubi superabundans sapientia atque eruditio in crimen a uulgo uocatur, *er hat sich überstudiret*. Mihi uero nihil magis risu dignum, quam allegata causa, loquendique formula, uidetur. Quantum est, quod nescimus; nullus magnam, multo minus nimiam sapientiam atque eruditionem sibi comparare potest. Contingit uero aliquando, partim, ob rationes antecedendibus iam allegatas, partim, si homines uel stupidiores, uel nasutuli, in Dei maiestatem atque arcana a cognitione nostra procul remota inquirunt, ac perpetuo anxii defixa in uno eodemque obiecto mente haerentes, nullam animo, nullam corpori concedunt quietem, ut, loco sapientiae, quam inuestigando quaerunt, in amentiam incidant. His inculcanda Pauli regula, qui iubet nos, non plus sapere, quam oporteat. Hebraeus concionator, idem pariter monet, altiora, dicens, te ne quaesieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne sis curiosus. Plures praeterea sic dicti literati reperiuntur, quos nec uita sedentaria, nec sublimiorum rerum cura, sed pessimum uitae genus, ad incitas ac desperationem redegit, & furiosos reddidit, adeo, ut haud raro mortem sibi, in proprium saeuientes corpus, consciuerint, aut etiam amentia simulata, hominum misericordiam & beneuolentiam conciliare annisi fuerint.

Quae, cum inter omnes constent, ac per se certa, clara ac manifesta sint, ne coniectura quidem assequi potui, ac plane adhuc desidero rationes, qui-

bus commotus Franckus de Franckenau, Patris de la Cerda ſententiam reprobans, Calderae de Heredia, Medici Hiſpani, explicationem approbauit. Rebus ad amuſſim expenſis, utriusque quidem opinionem a uero Plinii ſenſu alienam, deprehendimus, maiori tamen ueritatis ſpecie Patris de la Cerda iudicium ſe commendat. Caldera de Heredia, *mori per ſapientiam*, eſſe phrenitide, mania, aliaque uel furoris, uel amentiae ſpecie laborantem obire. Quae Caldera ex Dalechampio & Mercuriali deſcripta, ſcriptis ſuis, nulla citatorum auctorum facta mentione, fideliter inſeruit. Varia igitur miſcellanea, elegantis ſale eruditionis referta, ob quae huius auctoris lectionem tantopere Franckus de Franckenau commendat, pleniora, liquidiora, ac ueriſimiliora allegatis iam auctoribus legi poſſunt. Vbi & hoc notari meretur, quod Dalechampius & eius aſſeclae, qui ſolam phrenitidem hic intelligendam eſſe cenſent, probabiles aliqua ex parte rationes, a Graecis terminis, Φρὴν, Φρένες, Φρενήρης petitas, adducant, quae ad reliquas deliriorum ſpecies, maniam ſcilicet, melancholiam, tarantiſmum, cynanthropiam, choream S. Viti, explicandas, minus commode applicari poſſunt. Patri uero de la Cerda, *morbus per ſapientiam mori*, illam uaticinandi & futura praedicendi facultatem notat, quam in aegris & moribundis ſaepius fuiſſe obſeruatam, Tacito, Huarto, Aretaeo, Horſtio, Mollero, Cruſio, teſtibus, cognoſcimus. Non ignotum quidem, quosdam homines, & diem & horam mortis ſuae futuram, indicaſſe, aliaque aliis poſt mortem euentura praedixiſſe. Plurimis pariter hiſtoriis conſtat, homines illiteratos acutis laborantes febribus, peregrina & iis prorſus ignota dialecto, concinne atque erudite, Oratorum inſtar, locutos fuiſſe. Haec uero ad allegatae ſententiae demonſtrationem minus ſufficiunt; nam 1) nullam prorſus praeſenti capite uaticiniorum mentionem Plinius fecit. Vaticinia 2) ridiculum ſaepiſſime habuerunt euentum, cum, aegrotis priſtinae ſanitati reſtitutis, effectus aliud plane, quam innuerunt uaticinia, demonſtrarit. Vnde 3) noſtrorum uaticinia ſeculorum pro ſomniis, & magis pro dementiae, quam ſapientiae fructu habeo. Quibus 4) addendum, quod nullus per artem uaticinandi, ſed uim morbi, motum ſanguinis ſufflaminantis, moriatur.

Plura adhuc de termino mortis fatali, qui *morbo Plinii per ſapientiam mori*, ſatis adaequata accommodari poſſet argumentatione, dicenda

da restant, sed de hoc, peculiari scripto, demonstraturus, ὅτι ὅλος ὁ ἄνθρωπος, uti loquitur Hippocrates, ἐκ τῆς γενετῆς νοῦσος ἐστὶν, agam. Antequam uero ad monita Philiatris iniungenda progrediar, iis, qui meis fauent studiis, eadem una mecum de meliori commendo, illos uero, qui illa canino rodunt ac lacerant dente, monitos uolo, ut, uel meis meliora ac praestantiora, edant; aut, si hoc non possunt praestare, iniquam sibi ipsis reseruent censuram. Inter plures calamitates lacrymis sane maiores, quibus perpetuo affligor, inter tot, tam molestos, eosque perpetuos labores, quorum mercede & praemiis alii fruuntur, nihil molestius, nihil acerbius mihi fuit, quam iniquorum recordatio iudiciorum, quae de me meisque scriptis maleuoli tulerunt obtrectatores. Alii historias meis insertas scriptis, quas peculiari collectas ac notatas libro exhibere possum, ad hunc illumue aegrotum aegrotamue, male, sine ullo fundamento, applicantes, optimorum ac mihi amicissimorum uirorum odia conciliare allaborarunt. Alios uero male plane habuit, quod ego Stahlianorum errores uiuis plane coloribus descripserim. Hinc iidem, morum concinnitatem, seu uitae ornatum ac decorum, uti Cicero loquitur, in me desiderari, clamant, aut, ut eorum formulis gallicis utar: *C'est un homme sans conduite; C'est un homme de mauvaise conduite; Il n'a point de conduite.* En egregiam phrasium gallicarum elegantiam! Sane uero. Putant quippe huiusmodi psittaci gallici, nihil sine huiusmodi formulis pulchrum, nihilque iucundum esse. Satis mihi nota, mihique fortassis magis, quam tibi, quam uobis curae cordique est Socratis sententia: quod, uti uinum austerum, non est aptum potioni, sic mores agrestes non apti sint hominum consuetudini. Sed, qua de causa mei mores tibi displicent? Perstringi a me regeris Stahliana aliaque praeiudicia. Video iam argumentationis tuae fundamentum. Quicunque igitur errores aliorum manifestat ac reprobat, ille, ex tua mente, morum concinnitate destituitur. Egregia sane ars concludendi! Sed multi uiri celebres, denuo excipis, non doctores saltem, uerum aliis maioris momenti titulis superbientes, Stahlianis principiis sunt addicti. Egregia plane ars persuadendi! Multitudo errantium non parit errori patrocinium. Nonne nosti, plures hodie medicos, esse puros putos empiricos, *es seynd vortreffliche Quacksalber.* Hinc non mireris, quod iidem, cum in Academiis tempus otio ac luxu transegerint, ad hoc ignorantiae asylum

con-

confugiant. Nec mireris, eosdem Stahlianorum errorum demonstratione tantopere commoueri; nam, subruto dirutoque, ad quod tuto confugiebant, propugnaculo, ac detracto, quo se ornauerant ac uelauerant, tegmine, nuda sistitur eorum ignorantia. Sed satis de his. Imitabor in posterum Platonem, qui a Dionysio per epistolas rogatus, ne male de illo loqueretur, respondit: μὴ τοσαύτην αὐτῷ σχολὴν εἶναι, ὥστε Διονυσίου μεμνῆσθαι. Eodem plane modo huiusmodi obtrectatores ne memoria quidem amplius dignos iudicabo, atque ab iisdem lacessitus cogitabo: Petrus currit; currat ergo, currat cito.

Vos uero, Philiatri charissimi! uos, o mei! oro, rogo, ac per uestram omnibus precibus obtestor salutem, ut inchoatum studiorum uestrorum cursum strenue prosequamini. Tempus abit subito, nec ullis postibus haeret; temporis igitur magna cura habenda, nam eius iactura irreparabilis est; discite, eunt anni more fluentis aquae. Nihil sine magno uita dedit mortalibus; multis rigida quercus domatur ictibus; laurea uero desidiae praebetur nulla. Vos a proposito uestro artis prolixitas ac difficultas non deterreat; nihil tam difficile, quin quaerendo inuestigari possit; cum Minerua manum quoque admouete; uentis destituti remos adhibete; ubi intenderitis ingenium, ualet; didicisse fideliter artes, emollit mores nec sinit esse feros. Ac cum difficile sit tenere, quae didicistis, nisi exerceatis, hinc semper uobis pendeat hamus; absit a uobis persuasio sapientiae, quae profectus impedimentum est; pennas nido maiores ne extendatis. Considerate, quod homo, ad imaginem Dei conditus, uestrae artis sit obiectum. De humano igitur corio ne ludatis, sed necessaria discendo, atque utilia perficiendo, mentis uestrae tranquillitatem atque integritatem tueri studeatis. Fidus, Dei fultus gratia, uobis ero Achates, uestraque promoturus commoda, lectionibus physiologicis & practicis, quas praeterito mense Ianuario iam inchoaui, 1) collegium semiologico-casuale in aphorismos Hippocratis, 2) theoretico-practicum in medicinam meam aphoristicam, 3) Diaeteticum in praecepta iamiam edenda, & 4) Disputatorium, adiungam. Deus necessarias largiatur uires. Malo, labore atteri, aliisque inseruiendo consumtus, tranquilla obire mente, quam desidiae indulgendo, neglecto animi pastu, molestam corporis saginam contrahere. Dabam Vitembergae e Museo Idibus Februarii Anno cIↃ IↃCC XXXVI.